



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Actus inconstantiae vitiosi sunt & damnabiles.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

inconsideratione actuali facere opus aliquod quod scit esse prohibitum, & si tunc actualiter adverteret ad id quod scit, non faceret, excusatur à mortali: ut si quis non considerans hodie esse festum, emit aut vendit: vel non considerans esse diem ieiunii, comedit &c. aut non advertens contractum esse usurarium, facit illum &c. Et ratio horum & similium est: quia non videtur esse in potestate nostra occursum omnium, quæ scimus in iis quæ quasi sine discussione operamur. Et multò magis excusatur ille, qui meditatus quantum bona fide credit oportere, inuenit se post factum opus aut datum consilium considerationem omisisse, peccatum enim mortale præter intentionem valde difficile, contra intentionem verò impossibile est accidere: in proposito autem & præter intentionem manifestè est, contra intentionem videtur esse.

Actus inconstantia vitiosi sunt & damnabiles.

Inconstantia (qua homo à bono ac debito proposito recedit non exequendo illud) peccatū est: quia à recta rationis ordine declinat. Est autem mortale vel veniale peccatum iuxta materiam subiectam: nam si inconstans omittit ea quæ sunt de necessitate salutis, peccat mortaliter: si verò aliàs debita, peccat venialiter. Et si inconstans ex inordinata aliqua passione amoris vel rancoris omittit propositum prius bonum aliquod supererogationis, peccat quoque venialiter, quia inordinatè desistit à bono proposito.

Incontinentia (qua homo rectam habens intentionem vincitur à concupiscentia delectabilium carnalium aut honoris, aut iræ) peccatum manifestè, est personarum non omnino malarum, quæ habituarè sunt in malo luxuriæ, ambitionis, iræ & huiusmodi.

modi

Indignatio. 349

modi: nec omnino bonarum quæ habent huiusmodi
 passiones domitas. sed mediocrium, quæ habent re-
 ctam intentionem circa castitatem, mansuetudinem
 &c. & tamen vigent in eis passiones utpote non do-
 mitæ habitibus virtutum. earundem enim persona-
 rum est continentia & incontinentia. Contingit au-
 tem dupliciter. Vel ita quod passio huiusmodi præ-
 ueniat rationem pugnantem rectè sentiendo, ita quod
 antequam pugnet, cedit: ut sæpe accidit cholericis
 propter velocitatem cholerae, & melancholicis pro-
 pter vehementiam impetuosi motus. Vel ita quod
 ratione inde (hoc est ex parte superiore) & passione
 hinc (hoc est ex parte inferiore) pugnantibus tandem
 multiplicata & augmentata passio vincit. Vtroque
 autem modo si ad consensum deliberatum alicuius
 (quod est peccatum mortale) puta vindictam, forni-
 cationem, &c. homo trahitur, peccatum est mortale
 huiusmodi incontinentia: aliter peccatum veniale.
 Et licet Aristoteles in mulieribus nolit continentiam
 & incontinentiam recognoscere, quia quasi pueri se-
 quuntur facile absque pugna passionis: in mulieribus
 tamen Christianis propter lumen fidei quo spiritus
 concupiscit aduersus carnem, ac per hoc pugnat
 contra carnem, recognosco continentiam, quam
 spiritus vincit, & incontinentiam quam spiritus
 vincitur.

*Peccatum indignationis membrum est
 superbiae: quapropter damnabile
 et mortale dici debet.*

Indignatio (qua ex ira homo afficitur proximo
 tanquam indigno sua affabilitate, conuersationem
 & huiusmodi, peccatum est propter inordinatam
 passionem: & cõter veniale, procedens ex eo quod
 indignum reputat se à tali nunc &c. pati seu tractari.

Potest